

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

dilecto filio Josepho Mazuelos Pérez, electo metropolitanae Sedis Hispalensis, hactenus Delegato ipsius archidioecesis pro actione pastorali in Studiorum Universitate, electo Episcopo Assidonensi - Jerezensi, salutem et Apostolicam Benedictionem. Qui successimus in locum beati Petri cupientes providere Cathedrali Ecclesiae Assidonensi - Jerezensi, vacanti post translatum Venerabilem Fratrem Joannem Del Rio Martín ad Ordinariatum Castrensem Hispaniae, optime fieri censemus si eandem regendam committamus tibi, dilecte fili, debitis dotibus ornato rerumque pastoralium perito. De consilio igitur Congregationis pro Episcopis, summa Apostolica potestate te nominamus Episcopum Assidonensem - Jerezensem cunctis cum iuribus et obligationibus. A quovis catholico Episcopo extra urbem Romam accipies ordinationem episcopalem, praemissis catholicae fidei professione iureque iurando fidelitatis erga Nos et Nostros Successores secundum sacros canones. Mandamus praeterea ut de his Litteris facias certiores clerum et populum eiusdem Sedis: quos hortamur ut te laeti accipiant ac devoto prosequantur animo. Fac denique, dilecte fili, Paracliti Spiritus adiutus donis, episcopale officium ita impleas ut fideles tibi crediti Christum sequantur Magistrum vitae, nitentes cotidie vivere sicut Ille vixit atque amare sicut Ille dilexit. Cuius quoque pax, auspice beata Virgine Maria, sit semper tecum et cum ista ecclesiali communitate Nobis carissima. Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Martii, in sollemnitate S. Joseph, eiusdem Virginis Sponsi, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quarto.

Benedictus 11^{us}.

Marcellus Bosselli, protestant. opus.